

# PETRI DE ANDLO

## LIBER SECVNDVS.

### *De Septem Principum Electorum institutione.*

#### CAPVT I.



**P**TSI UTILIVS LABOREM MEVM consumere, & tempus fertiliori impendere studio potuissem: adeò me tamen & zelus impellit Imperij, & præfulgidum Germanicæ nobilitatis decus inuitat, vt neque calamo parcere, neque iucundissimo abſistere studio, quod inchoaui, valeam. Et quidem superiori libro ſacri progreſſum Imperij, illiusq; varium per tempora exarauimus ſtatum. Deinceps ad ea, quæ inuictiſſimi rectoris Imperij perſonam & ſtatum concernere videntur, laborem ſtylumque vertamus. Translato Romano imperio in perſona magnifici Karoli, per ſucceſſionem tolerantibus Germanis principibus per annos centum & vltra vſque ad ſeptimam generationem permansit. Defecit autem & genus & imperium in perſona Ludouici quarti Arnulphi filij, de anno Domini 913. Is enim (vt in Francorũ chronographia legitur) ſine filijs obiit, relinquens duas filias, videlicet Placidam & Mathildin: quarum primogenitam, ſcilicet Placidam dedit vxorem Conrado comiti Alemanix principi, qui poſt eum imperauit: alterã verò Henrico duci Saxonum deſponſauit, & ex ea genuit Othonem primum, poſteà Imperatorem magnum. Legitur autem in geſtis Aquitanix quòd ex eo progenies & poſteritas Karoli magni fuit reprobata, quòd Dei gratiam abiiciens Eccleſiarũ & religionis

*Una filia  
Louisi, alii  
mi Caesaris  
line scriptis*

*Aliter longi Cuspinian ac  
alij, K 3*